



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ivlii Cæsarisi Scaligeri Epistolæ & Orationes**

**Scaliger, Julius Caesar**

**Lugduni Batavorum, 1600**

Iano Mavmontio Lvtetiam. LXXVII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70455](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70455)

248 IULII CÆSAR. SCAL.

*Cuius amor dulcis tantum mihi crescit in horas,  
Quam magnus cumulus Libycæ numeratur arena.  
Vt nouitium poetam cognoscas, atque adeo*  
μυσοῦ ἀπαγοῦ. Parisiis. Pridie idus Mar-  
tias. 1557.

In nouissimis literis tuis, quarum hic mentionem facio, in eandem fere rationem conscriptis, hucque allatis ad me beneficio Brassaci nostri, in priore quidem ita adscriptum erat, *Ex villula. Prid. Cal. Febr.* in posteriore vero, quæ de altera loquebatur, ita: *Agenni. Prid. id. Febr.* quod scribo, ut quas ad me miseris, quasque receperim, nosse queas. Iterum Vale.

IANO MAVMONTIO.

LVTETIAM. LXXVII.

**E**TSI in eo eram, potius ut animam agerem, quam ut quicquam meditari possem: tamen acceptis hodie literis tuis atque recitatis, tantum virium resumpsi ex affectu inexpectato, quantum satis esset ad hæc dictanda: ut antequam extremum effunderem spiritum, supremum hanc vocem meorum erga te officiorum testem relinquerem posteritati. Quo in discessu nihil omnino mihi graue est, præterquam  
quod

quod explere tibi non potui, quæ fueram pollicitus, propterea quod totam æstatem pene æger decubui. Theophrastus tamen totus absolutus est cum Commentariis. verum quid tum postea? cum mea opera præsentis nequeant, necesse est ignibus abiturum emendatum iri. Idem fiet de historiis animalium, deque cæteris omnibus monumentis, quæ captas non admodum pusillas complent: tametsi poeticæ institutiones meæ an euaserint tam acerbam fortunam, an peiorem subierint, nescio. Scito enim haud ita diu multum esse, cum illos libros dedi Lugdunum perferendos Roberto Constantino, cuius integritas & fides nisi æquarent ingentem eruditionem, hoc interueniente casu, quid hariolandum mihi fuerit, nesciam. Eos tamen tuæ fidei commendo tanquam posthumos. Cætera Deus viderit. Vale. XXI II. Septembris.

*Manu Iosephi.*

EIDEM. LXXVIII.

**E**CCE tibi de integro libri poetices, tuis vocibus reuocati: quos cum ex illo terrimo naufragio liberatos subtraxeris, se in tuam fidem tanquam in portum quæpiam

Qs

piam